

luta sit, extra gratiam homo existat & iræ atque iudicio Divino sit obnoxius. Ostendit hoc ex luculentis antiquitatis monumentis, Historiæ Pelagianæ Lib. IV. Part. I. 421. Ger. Joannes Vossius. Cui rei Hieronymum adducit, in Hierem. XXXI. scribentem: postquam convertisti me, egi pœnitentiam, Vide, quantum sit auxilium DEI & quam fragilis humana conditio, ut hoc ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante converterit, nequaquam valeamus. Itemque Ambrosium, libro X. in Lucam, cap. XCVI. de pœnitentia Petri scribentem: quod scriptum est, quia respexit eum Dominus, INTUS actum est, in voluntate actum est. Misericordia Domini LATENTER subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usq; ad exterioris lacrymas movit & produxit affectum. Denique Fulgentium, libro de Incarnatione & gratia cap. XVII. ubi disertis verbis: Claret, quia ut homo in DEUM credere incipiat, à DEO accipit pœnitentiam ad vitam, ita ut omnino credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit. Quæ est autem pœnitentia hominis, nisi mutatio voluntatis? DEUS igitur, qui homini pœnitentiam dat, ipse mutat hominis voluntatem. Nec diversum sentiunt docentque recentioris Ecclesiæ nostræ doctores. Nam D. Aegid. Hunnius, in Quæstionibus de Libero Arbitrio Tom. I. Opp. p. 488. ad objectionem, quod dicatur Spiritus S. dari petentibus ipsum, atque per hoc ipsum innuatur, posse eos, qui Spiritum S. nondum habent, suis illum precibus à Patre impetrare, respondet: non agere hoc dictum de primâ scintilla Spiritus Sancti, quasi illud primum initium fidei queamus antevertere precibus à naturalium virium arbitrio profectis & absque Spiritu profusis, sed de accepti jam Spiritus Sancti augmento & donorum amplificatione. Caterum verissimum manere, neminem JESUM appellare posse Dominum, nisi per Spiritum Sanctum, adeoque ante illum acceptum, preces gratas esse DEO non posse, quippe qui non nisi in Spiritu & veritate adorari velit. Idem & iisdem fere verbis ad Pelagianorum argumentum respondet D. Jo. Gerhardus, loco de libero Arbitrio, §. 90. firmatque responsum ex eo, quod loquatur Christus ad Apostolos, qui Spiritu S. jam erant renovati, concluditq;: Fides fundit orationem & oratio fusa fidei impetrat firmitatem, Nulla est DEO grata oratio absque fide, jam verò fides est DEI opus atque donum. Denique Andreas Prucknerus in vindiciis Biblicis ad

B

Luc.